4

DISSERTATIO MEDICA

INAUGURALIS,

DE

# VERMIBUS INTESTINORUM.

Auctore TIMOTHEO M'CARTHY.

INTER varias affectiones tyrannidem suam in corpus humanum exercentes, morbus ille, originem a vermium in humano corpore hospitio ducens, non pro minimo malo censendus est. In hac dissertatione, de his tantum vermibus quorum tria genera, nominibus, Taeniae, Lumbrici, et Ascarides, signata, ab auctoribus praecipue enumerantur,





tractare, mihi in animo est. De his pauca ordine quaeque suo dicenda sunt.

Taenia vel Lumbricus Latus, anglice, "Tape worm," facile ab aliis distinguitur; albida est, cum corpore insigniter longo, plano, multisque ex juncturis longitudine et latitudine variantibus, constanti; osculis in medio positis; capite quadrato, quatuor exiguis-oculis instructo. Hujus generis quatuor a Linnaeo enumerantur species, sed ex his duae tantum, annulorum inter se distantiâ praecipue differentes, corpus humanum infestant. Longitudine decem pedes rarò superat; nonnunquam in immensam crescit magnitudinem, teste Boerhavio, qui unum trecentos cubitos longum, se vidisse scribit. Crassitudo in diversis partibus variat, ad caudam major. Jejunum et Ileum praecipue infestat Taenia, rarò ventriculum, et intestina magna occupat.

Lumbricus est vermis teres, levis, et cum primùm ab intestinis dejicitur, coloris subrubri, sed paulo post pallidi flavescentis, evadens; corpus

annulis exiguis cinctum, crassitudinem seu diametrum calami scriptorii aequat; caput trilobum, triangulare, os tribus labiis instructum exhibet. Longitudo, etiamsi varians, duodecim digitis raro major. Lumbrico terrestri, formâ externâ, valde similis, sed levissima examinatio, magnum inter hos vermes discrimen existere facile monstraret. Duodenum, et Ileum Lumbricis domicilium praebent; rarò, aut nunquam, in intestinis magnis, nisi illuc acribus catharticis depulsi, inveniuntur.

Ascaris, est vermis exiguus, albus, corpore rotundo; diametrum fili tenuis rarissimè superanti, et pollicis dimidium longitudine assequenti; caudâ acuminatâ; capite autem, minus cuspidato; ore, in medio trium carnosarum papillarum sito. Haec species intestinis crassis, praecipuè recto, habitare solet. Multa millia horum vermium, saepè faecibus excernuntur; et cum primum evacuantur, motu vividissimi sunt, sed citò moriuntur.

His tribus generibus, aliud nuper repertum, et

nomine Trichuridis vulgaris gaudens, novissimi scriptores addiderunt. Corpus ei circiter digitum transversum est longum ; et cauda fili formâ digitum cum dimidio longa ; sed raro accidit, quod medicinâ, aut sponte, corpore ejiciatur.

De origine, et causis vermium, adhuc disputatur. In hac Thesi, varias opiniones auctorum, qui de eorum generatione tractaverunt, aut perscrutari, aut enumerare, aeque impossibile, ac inutile esset. Mihi videtur, tempestatem anni calidam, et pluviosam ; aera frigidum, atque humidum ; varios morbos, nempè, febrem, scorbutum, &c. ; cibos insalubres digestioni parum idoneos ; concoctionis necessariae defectum ; motus peristalticos laesos ; alvum adstrictam, languidam, et tardam ; denique, omnia quae vel corpus debilitant, vel necessarias ejus functiones infirmiores reddunt, vel secretionum abdominalium praesertim mucosae, naturam vitiant, inter causas particularem mentionem mereri.

Nulla causa, tam varios gignit effectus, quam

vermium, in humano corpore, hospitium; et quamvis huic studio, multi medici operam dederunt, tamen valde difficile est, pro certo judicare, num vermes intestinis adsint. Nullum fere symptoma est, quod interdum vermes non procreaverunt, ideoque, difficillimum est, ea seligere, quibus, ab aliis, hic distinguitur morbus. Signa frequentissima, et ea quae minus fallacia sunt, notabo. Appetitus cibi multum variat, nunc omnino prosternitur, nunc voracissimus; corpus macrescit; lingua foedatur; halitus teterrimè olet: Ventriculus tumefactione, dolore, nauseâ, cibi fastidio, vomitu, singultu, et cardialgiâ afficitur. Abdomen tumidum et tensum fit; inter somnum, stridor dentium; facies nunc pallido, nunc vivido, praesertim sub oculis, nunc rubro colore inficitur; oculi hebescunt, visus debilitatur, pupillae dilatantur; nasus pallet, tumet, et ita prurit, ut aeger eum scalpere continuè cogitur; labium superius tumore afficitur, et anus prurigine molestâ vexatur. Postquam ulterius evectus est morbus, gravis cephalalgia urget; vertigo, cum tinnitu aurium, insequitur; abdomen doloribus colicis, constrictionibus, et spasmis torquetur; alvus

nunc adstricta, saepius diarrhoeâ, cum dejectionibus cruentis vexatur. Respiratio multum opprimitur, pulsus nonnunquam durus, interdum debilis, et inaequalis, saepe intermittit ; tussis sicca, saepe dyspnoeâ, angit. Aeger tandem, doloribus fatigatus, et pervigiliis confectus, in febrem hecticam, convulsiones, syncopen, epilepsiam, et varios alios morbos, facile incidit. Sed sane, haec signa adeo sunt irregularia, indefinita, et incerta; ut illis nulla certa fides attribuenda, nisi vermium aliqui, vel per os, vel per anum, prius expulsi fuerint.

Rationem omnium signorum explicare non facile est. Obstipatio, tumor, et durities abdominis, et spasmi interni, ex magnis vermium copiis intestina irritantibus, oriri videntur. Hi spasmi, et excrementum foedum intestinis inventum, tormina, tenesmum, diarrhoeam, nauseam, eructationes foetidas, odores ingratos, gignunt. Appetitus vorax, corporis macies, et debilitas, faciei pallor, et multa alia hujusmodi signa, vel ex consumptione cibi ingesti a vermibus, ideoque nutrimenti necessarii defectu, vel ex auctâ mucosae secretionis

quantitate, vermium irritatione ortâ, ora vasorum absorbentium obsidenti, et absorptioni necessariae obstanti ; vel ex intestinorum, et lactantium debilitate, et actione morbida, vel ex his omnibus conjunctis originem trahunt. Dolor lateris, tussis sicca, tinnitus aurium, pupillarum dilatatio, per harum partium cum ventriculo et intestinis sympathiam fiunt. Ex eadem causâ nempe consensu cerebrum inter et ventriculum, epilepsia, convulsiones, et aliae affectiones spasmodicae pendere volunt.

Priusquam vermium curationem inchoamus, necessarium fit, ut de illis signis tractemus, quibus hunc morbum ab aliis dignoscere valeamus. Varii sunt morbi quibus vermes confunduntur ; sed duorum, viz. Hydrocephali incipientis, et Tabis Mesentericae, in hac Thesi, mentionem tantum faciam, quia in his, symptomata proximè accedunt ad vermes, et diagnosis difficilior, et magis obscura fit. Sequentibus unum ab altero distinguimus. In Hydrocephalo interno, capitis dolor acerbior, a morbi initio adest, unique parti praecipue

haeret, sed in vermibus per totum caput diffunditur. In illo, alvum pertinaciter adstrictam, appetitum nullum, vomitus frequentes, et indomabiles, faeces solito tetriores, interdum virides, invenimus; in his, alvus sponte solvitur, mucosas dejectiones exhibet, et post cibum dolor remittit. In illo, pupillarum dilatatio, lucis et soni intolerantia, multo frequentiora fiunt, et diutius manent. In Hydrocephalo pulsus magis inaequalis, interdum citatus, deinde tardus, paulo post velocissimus; aeger manus ad caput frequenter admovet, at hoc signo verminosus inimicus; nasi prurigo vermes, nunquam vero Hydrocephalum comitatur. Hydrocephalo paulum progresso, signa cranii compressionem comitantia sese ostendunt, et fidam, certamque diagnosin offert. Signa, quibus vermes a Tabe Mesentericâ distinguuntur, non aeque certa sunt; sed alarum nasi tumor, ani, nariumque pruritus, stridor dentium, pupillarum dilatatio, in affectione mesentericâ absunt, ideoque absentia, seu praesentia, horum signorum, unum ab altero cognoscamus. Ardor, et pruritus molestus circa anum, tenesmus et dejectiones mucosae, prae-

sentiam ascaridis indicant. Lumbrici tormina saeviora circa umbilicalem regionem producunt, et convulsiones, spasmos, et cardialgiam, saepius quam alii, gignere solent. Sensus ponderis, et doloris, in variis abdominis partibus, macies corporis gravior, corpusculorum alborum excretio, vultus pallidus, et appetitus vorax, Taeniam insignant.

Ex tribus vermium speciebus, Taenia saepissimè medici conatus futiles reddit. Difficilimè interficitur, et saepe multis expulsis nodis, cito molem pristinam recuperat. Lumbrici, quam taenia, magis periculi afferunt, nam intestina stimulando, convulsiones et spasmos creant, et jejuni, et duodeni, tunicas erodunt, attamen facilius remediis extinguuntur. Ascarides plus molestiae, quam periculi, pariunt; nec tamen semper facile expelluntur. Vermes infantibus, quam anis provectis, magis perniciosi; nam quo tenerior aetas, eo magis convulsionibus, et spasmis obnoxior, et eo minus fausta prognosis fit. Sed quaecunque fuerit aetas, si aeger valde debilitatus tabescat; si febre hecticâ

obrumpatur ; si diarrhoeae, aut ulceribus subjiciatur; si denique his, vel malis similibus (medicamentis frustrà administratis) diu opprimatur : haec signa carbone notanda sunt.

## RATIO MEDENDI.

In hujus morbi curatione, indicationes ad duo capita referri possunt, necem vel expulsionem vermium efficere, et generationem eorum futuram impedire. Primae indicationi remedia quae respondent, in tres classes dividam, scilicet, quae viribus evacuantibus, chemicis vel venenatis, et mechanicis pollent. Prior classis, omnia anthelmintica complectitur, quae viribus catharticis gaudent ; sed haec singula nominatim expendere, vix necessarium habeo, praesertim cum eorum pleraque eodem modo agunt, nempe motum peristalticum augendo, hos diros hospites, quasi vi et armis, ab intestinis depellunt. Medicamenta hujus classis utilissima,

breviter notabo. Ex mercurii praeparationibus, praestantissima est Calomelas ; per se interdum datur, acribus catharticis saepius adjungitur ; multo efficacius fit, si cum pulvere, vel Jalapae, vel Gambogiae, conjungatur. Gambogia contra taeniam saepe usurpatur ; hujus grana quindecim, cum parte aequali alkalinae vegetabilis mane pro dosi sumpta, et si nullus sit effectus, tertiis horis usque ad vicem tertiam repetita, felicissimis effectibus exhiberi dicuntur. Aloes Socotorina ad Ascarides expellendas magis idonea videtur, quia intestina magna viribus ejus catharticis proprié subjiciuntur ; vel per os, vel sub formâ emplastri administratur. Convolvulus Jalapa, praecipuè si cum Calomelane jungatur, inter medicamenta tutissima et efficacissima collocari meretur. Rheum Palmatum, propter qualitates astringentes in exemplis diarrhoeâ complicatis, indicatur. Oleum Crotonense, catharticum nobis praestantissimum praebet, quippe in dosi exigua purgat, ideoque ventriculi irritabilitatem non excitat. Inter medicamenta secundae classis Oleum Terebinthinae, Spigelia Marilandica, et Cortex Geoffraeae inermis particularem mentionem meren-

tur. Oleum Terebinthinae, ab omnibus merito concelebratur ; unciâ cum semisse, vel duabus unciis pro dosi sumptis, contra Taeniam efficacissimum est ; sub formâ enematis etiam saepe administratur. Decocta et juscula mucilaginosa, quae graves affectiones, quae in organis urinariis accidere solent, impedirent, inter actionem ejus necessaria sunt. Si antem ex usu ejus stranguria oriatur, ab enemate olei olivae et lactis tepidi, paucis tincturae opii guttis additis, dissipatur. Spigelia Marilandica (" Indian Pink") in vermibus, praecipuè Lumbricis, expellendis, summam laudem adepta est ; nec immerito, ut ab experimentis a celeberimo viro FRANCISCO HOME, in regio nosocomio hujus urbis institutis, satis adparet ; exhibuit puero annorum octo grana decem, bis in die, et adulto, semidrachmam quater in die : emeticus plerumque praemittitur. Cortex Geoffraeae inermis utile in Lumbricos nobis suppeditat remedium, sed usum ejus per dies octo, vel novem, continuare, et postero die alvum cathartico ducere necessarium est : sub formis pulveris, decocti, syrupi, et extracti, exhibetur ; decoctum melius ;

sed cautum, ne vomitus violentus, aut Supercatharsis inducatur.

Nunc de medicamentis viribus mechanicis gaudentibus, pauca dicam. Pulverem Stanni eximiis, nec immeritis laudibus multi prosequuntur licet, modus operandi nequaquam pro certo intelligitur ; alii activitatem ad praesentiam arsenici referri credunt, et vermibus potius veneno esse opinantur ; alii irritatione, et motu intestinorum aucto pendere volunt ; alii autem angulorum, seu spiculorum acutorum ope, vermium esse destructorem, existimant : contra Lumbricos valet. Dolichos pruriens, omnium medicamentorum, quae mechanicè agunt, nulli secundus est. Capilli, seu spiculae externam siliquae partem tegentes, soli in usu sunt, et adeo acuti, ut cuti applicati, pruritiem, et inflammationem excitent ; hinc forsan concludendum, haud sine magno ventriculi et intestinorum periculo, eos administrari ; sed contrarium experientia docet. Vires ejus ad scabros capillos referendas hinc colligitur, quod nec decoctum, nec in-

fusum, nec tinctura, quicquam valeant ; sub formâ electuarii, mane et vesperi administratur, et postero die alvus cathartico acri bene solvitur. Multa alia medicamenta adversus vermes medicis praecipiuntur ; horum praecipua, sunt Tanacetum, Ruta graveolens, Valerianus sylvestris, Ferula Assafoetida, Artimesia Santonica, Nicotiana Tabacum, sulphur, aqua maris, aqua calcis, &c. &c. : haec vero per injectiones in intestina infusa, imprimis adversus Ascarides, magis quam, cum per os devorantur, valent.

Primâ indicatione peractâ, secundam, tonicis, astringentibus, et amaris, exequimur. Ex his, cortex Peruvianus, ferri praeparationes, gentiana lutea, quassia, et balneum frigidum, maxima laude dignissima sunt : una cum his, cibus quam maxime nutriens et concoctu facilis esse debet. Aliquantum carnis recentis, vini optimi quatuor vel sex unciae in die, et panis bene fermentatus, huic proposito bene respondent. Nil, quo corpus roboratur, omittendum ; exercitatio tempestiva et

frequens citra fatigationem, vestitus calidus, munditiae, coeli, situsque, si necesse fuerit, mutatio, balneum frigidum ; haec omnia colenda sunt.

FINIS.